

Johann Gabriel Pries


Commentatio Critica De Divina Legvm Mosaicarvm Praestantia Contra Deistas

Rostochii: Litteris Rösenianis, [1755]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn881457221>

Druck Freier  Zugang





MK-9453. (2)





2

COMMENTATIO CRITICA
DE
DIVINA LEGVM MOSAICARVM
PRAESTANTIA
CONTRA
DEISTAS.

300
Universitätsbibliothek Rostock

ACROAMATI ORATORIO
SERENISSIMI DVVIS, PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI
CHRISTIANI
LUDOVICI,

DVCIS REGNANTIS MEGAPOLITANI,
PRINCIPIS VETVSTAE GENTIS HENETAE, SVERINI AC
RACEVURGI, COMITIS ITEM SVERINENSIS, TERRARVM
ROSTOCHII AC STARGARDIAE DYNASTAE,
DOMINI NOSTRI ET NVTRITORIS HVJVS GYMNASII
LONGE CLEMENTISSIMI,

AVGVSTO NATALI,

DIE XV. MAJI, A. R. S. MDCCLV. ILLVSCENTI,

SACRO,

ET IN AVDITORIO MAJORI HORA II. POST MERIDIEM


SOLEMNISSE HABENDO,

INVITATIONIS CAVSSA PRAEMISSA

AVCTORE

M. IO. GABR. PRIES,

DVCALIS GYMNASII GVSTROVIENSIS RECTORE.




ROSTOCHII, LITTERIS RÖSENIANIS.

1756.



S. I.



roPRINCIPIS, PATRIS PATRIAE, Serenissimi
dies natalis.
salute ac incolumitate, si quovis tempo-
ris momento preces ac vota sunt nun-
cupanda *summo rerum humanarum AR-*
BITRO & PRINCIPI PRINCIPVM, ut civium
felicitem constantem & perennem esse sinat; dies, quo
Numen beneficentissimum recens natum indulisit pri-
mum, & commodavit, terris Meclenburgicis

A 2

SERE.



Serenissimum
 Ducem Principem ac Dominum,
 DOMINVM
CHRISTIANVM
LVDOVICVM,

Ducem regnantem Megapolitanum, Principem vetustæ
 Gentis Heneræ, Suerini ac Raceburgi, Comitem item Sue-
 rinensem, Terrarum Rostochii ac Stargardiae
 Dynasten,

Patrem Patriæ Indulgentissimum,
 Dominum nostrum & Nutritorem hujus Gymnasii
 Longe clementissimum,

anniversaria vicissitudine auspicato nunc reversus, omni-
 bus non modo civibus, sed inprimis Ducalis Gymna-
 siii docentibus atque discipulis pius, sanctus & acce-
 ptus adparet. Jam per omnes provincias Meclenbur-
 gicas, quotquot summa fide & pietate parent *Principi*
 suo, personant votorum concentus de *die natali Ducis*
Regnantis, & de auspiciatissimis nuptiis LVDOVICI, Prin-
cipis ac Ducis Clementissimi, cum Principe ac Duce Co-
burgensi CHARLOTTA SOPHIA, omni sui sexus
Ducalis virtutum splendore consummatissima, audiuntur
 congratulationes, quibus denique civium plausus de
pace nuperrime facta terrisque Megapolitanis admodum
salutari immiscentur. Rapimur et nos in laetandi socie-
 tatem, nobisque religioni duceremus, nisi iuventus no-
 stra hoc die documentum pietatis & fidei devotionis-
 que in *Patrem Patriæ* ederet,

§. II.



V

§. II.

Augustiora igitur solemnia parant, et publicis de- Syllabus
clamationibus laetitiae suaeque pietatis facient indicium oratorum
XII Juvenes praeclari, et ad optima quaevis nati fa- scholastico-
Etique rum.

- I. FRIDERICVS SIMON ECKARDT,
Neostadiensis.
- II. CHRISTOPHORVS HENRICVS JACOBSEN,
Gustroviensis.
- III. JOHANNES CHRISTIANVS VON THIEN,
Gustroviensis.
- IV. CHRISTIANVS JOACHIMVS OTTO,
Dargunensis.
- V. JOACHIMVS ANDREAS PRIES,
Rostochiensis.
- VI. SAMVEL GVSTAVUS OERTHLING,
Rostochiensis.
- VII. JOHANNES THOMAS SPALDING,
Gustroviensis.
- VIII. LVDOVICVS FRIDERICVS PASSOW,
Sverinensis.
- IX. CHRISTIANVS JOH. HENRICVS HAKER,
Rambow - Meclenb.
- X. PETRVS JOHANNES HAGDORN,
Gustroviensis.
- XI. JOACHIM HENRICVS KRUGER,
Gustroviensis.
- XII. SAMVEL SIMON WITTE,
Robelensis.

A 3

Dicen-



Dicendi argumentum tam *praestantia diei NATALIS*
Principis ac Ducis Regnantis, quam, quae hac aetate
 praecclare gesta sunt, iis suppeditabunt, animum vero
 addent summa pietas atque humillima devotio. Itaque
 Primus auspiciatissimum *Ducis Regnantis* natalem indicet,
 secundus de diei natalis praestantia
 tertius de diei natalis celebratione declamabunt,
 quartus Principis natalem diem die regiminis esse praes-
 tantiore probabit,
 quintus de die natali Principis ac Ducis Regnantis civi-
 bus suis laetissimo, ob *augustissima nuptiarum LVD O-*
VICI Principis ac Ducis cum CHARLOTTA SO-
PHIA Principe ac Duce Coburgensi solemnia perorabit.
 Sextus ob longaevitatem,
 septimus ob amorem pacis,
 octavus ob pacem gloriose factam,
 nonus ob cultum verae religionis,
 decimus ob Musarum patrocinium,
 undecimus ob clementiam in singulos ciues, qua fieri
 potest brevitate, partim humillimas agent grates, par-
 tim pias fundent preces, ac denique
 duodecimus generalius pia & ardentissima vota Deo Ter-
 Optimo Maximo pro Principis ac Ducis serenissi-
 mi prosperitate persoluet, et omne felicitatis genus,
 quod humana conditio & principale fastigium recipit,
 eidem humillime adprecabitur.
 Habebitur autem haec sermonum varietas, ut primus &
 decimus carmine latino, sextus et nonus oratione la-
 tina, secundus, tertius et duodecimus carmine ger-
 manico ac reliqui oratione germanica utantur.



§. III.

Diei solemnitatem ut *Illustre Dicafterium Meclenburgicum, Excellentissimi Domini Consilarii, Doctores & Licentiati, Verbi divini Antistites religiosissimi, Amplissimus urbis Senatus, honoratissimi Domini Collegae, humanissimique Musarum Fautores*, frequentia sua exoptata perficiant, ac oratoribus scholasticis beneuolas praebeant aures, ego jam ea qua decet, observantia, pietate et amicitia enixissime contendo. Diem huic Panegyri destinavimus XV. mensis Maji, ejusque horam post meridiem II., quae ut Auditores nobis frequentes adducat, in optatis habemus maxime, quorum benevolentiae ac fauori nos nostrosque conatus decenter commendamus.

Invitatio.

§. I

Religionem Servatoris nostri dulcissimi impugnaturi Deistae, cum intelligant, quantum pondus ac momentum sit in certitudine religionis Mosaicae positum ac veritate; tantum laboris ac studii ad auctoritatem diuinam Mosis extenuandam, laudesque obterendas impendi debere, nemini mirum esse videtur. Hinc factum est, ut nunc dubiam Mosis reddant cum *COLLINO* missionem, nunc eum faciant ingeniosum Politicum cum famoso *TOLLANDO*, nunc seductorem ac impostorem cum *Middletono* ac *Morgano*, imo denique tyrannum, Muhammede ipso crudeliorem. Conuiciorum *Strabonis, Diodori Siculi, Chalcedii* et aliorum, quae nostris repetita sunt seculis, agmen collegit fere in vnum b. *BUDDEUS* in *Hist. Eccles. V. T. Tom. I. p. 426.* Contra hanc Deistarum effrenatam audaciam diuinam Mosis vindicaturus missionem,

Ratio instituti.



nem, *Wilb.* WARBURTONUS tam eruditione eaque haut vulgari, quam amore sententiarum paradoxarum apud cives et exteros celeberrimus, in lucem edidit librum, cui titulus est: *the divin Legation of Moses*, in linguam germanicam a *S. R. Job. Christ. Schmidio* nunc translatum, et doctis locupletatum adnotationibus. Retorquet in ipsos ipsorum arma, cum ex principio, quod divus Moses ne ullam quidem legem causis moventibus & rationibus ex futura vita confirmaverit, ejusdem divinam missionem studeat euincere. Haec autem argumentorum, quibus usus fuit WARBURTONUS est summa: Bene stare haut potest respublica, nisi cives poenis aut praemiis, post hanc vitam certo expectandis, in suis contineantur officiis, aut Deus ipse provida cura eaque plane singulari eiusmodi reipublicae prospiciat. Quare omnes reliqui legislatores praetextu religionis usi, statuta ac leges rationibus impellentibus ex futuro animae nostrae statu petitis communiverunt, quibus nec fortiores nec nobiliores esse possunt. Jam vero cum Moses, legislator omnibus his caruerit stimulis, et tamen respublica Israelitarum fuerit salva; consequens est, ut Moses fuerit a Deo missus *) At lites, sunt verba *S. R. D. Burgmanni* de hac controversia in *Diatribae*

Theo-

*) Non fuit, ut nonnullis visa est eruditus, WARBURTONI hypotheseis antea plane inaudita. Fuerunt in eo errore, referente SCHMIDIO *l. c. Part. III. pag. 125. seqq.* Jacobus DAVIVS *Episcopus Ebroicensis*, cujus mens ex *Job. GERHARDI Confession. Catholic.*

Libr. I. P. I. Cap. I. p. 25. ibi uberius fuit exposita, Samuel CLARCKIVS, *Tom. X. Conc. VI. p. 129.* KIDDERVS *im Beweis, daß Jesus der wahre Messias sei*, ex edit. RAMBACHII *Cap. XI. pag. 287. 288.* ut Arminianos & Socinianos praeteream silentio.



Theologico - polemica de Deismo Naturalistarum §. III.
 ex litibus feruntur, si scriptis Anti - Deisticis noua ad-
 suantur. Periculosa enim ac suspecta haec hypo-
 thesis *WARBURTONIANA*, licet ingeniosa multis
 Anglorum, nimirum *STACKHOUSIO* in der Bertheidigung
 der biblischen Geschichte Tom. III. pag. 378. seq. nomini
 ejusdem parcenti, ac *D. SYKESIO et FOSTERO*, quo-
 rum scripta polemica narrantur in der unpartheiſchen Kir-
 chenhistorie des A. und N. T. Tom. III. pag. 766. seq.,
 fuerit visa. Quid? quod ipsi Deistae, *MORGANUS* ni-
 mirum, de quo videatur die unparth. Kirchenhist. l. c.
 et *Thom. CHUBBIUS*, teste *D. KRAFTIO* in *Biblioth.*
theol. Tom. III. pag. 845., suis *WARBURTONUM* adgre-
 diuntur armis. Speramus igitur, non inutilem ac ingra-
 tum nos esse suscepturos laborem, si non modo contra
 Deistarum insultus nefandos legum Mosaicarum excel-
 lentiam ac praestantiam nunc vindicemus, sed et alia
 data occasione probemus, leges ipsas praemiis ac poe-
 nis in altera vita, tamquam suis rationibus moventibus,
 esse firmatas.

§. II.

Legibus Mosaicis tantum pretii, quantum est sum-
 mum atque divinum, esse statuendum, praeter praecla-
 ras laudes, quibus Spiritus S. eas haut indignas habuerit
 Deuter. Cap. IV., v. 7. seq. & Psal. XIX, v. 8., testantur
 non modo honorificae populi Israelitici adpellationes.
 sed et ipsa regiminis forma, quae theocratica audit. In-
 ter splendidos titulos eminent דָּבָר vinea a Dei dextra
 plantata, et super filium, Regem Messiam ex interpre-
 tatione

Præstantia
 legum Mo-
 saicarum
 evincitur
 ex praecla-
 ris titulis
 ecclesiae Ju-
 daicae et ex
 forma regi-
 minis.

B

tatione

tatione Chaldaica confirmata, Jef. Cap. V. v. 1. seq. גִּפְתִּין
 vitis Pſal. LXXX, v. 16. & אֵילֵי הַצֶּדֶק כַּטֵּעַ וְהוֹרֵי
 לְהַתְּפִיֵּא phrontisterium, in quo frutices arboresque
 in gloriam Dei nascuntur & succrescunt Jef. Cap. LXI,
 v. 3. Messias eandem gentem dignatus quoque fuit co-
 gnomento sponsae suae לְעוֹלָם וְיִאֲרָשׁוּתָי לִי Hof. Cap. II.
 v. 19. seqq., haereditatis pulcræ (sanguine suo sibi com-
 paratae) גְּחֻלַּת שְׂפָרָה עָלַי Pſal. XVI. v. 6., fratrum
 suorum et coetus ex pluribus gentibus diligenter &
 cum cura selecti Pſal. XXII. v. 23. *) Titulus vero
 סִגְלָה Exod. Cap. XIX. v. 5. וְהָיִיתָ לִי סִגְלָה מִכָּל-הָעַמִּים
 quemcunque honorem ac dignitatem, quanta quanta
 est, complectitur. Ex locis parallelis significatus vocis
 סִגְלָה facile eruitur. David dicitur; I. Paral. Cap. XXIX.
 v. 3. auro, argento, ferro, ahenis et lapidibus pretiosis
 ad exstruendum templum magna cura collectis, addi-
 disse de suo סִגְלָה זָהָב וְכֶסֶף thesaurum, aurum nimi-
 rum atque argentum, et ad sacrum seposuisse usum.
 Rem ergo David per סִגְלָה intelligit pretiosissimam, ma-
 gno labore congestam, ac certo fini eique haut vulga-
 ri, sed sacro ac præclaro destinatam. Adfunt non mo-
 do plura loca, Deuter. Cap. VII. v. 6. Cap. XIV. v. 2.
 Cap. XXVI. v. 18. Pſal. CXXXV. v. 4. sed & quam
 plurimae translationes, hunc significatum confirmantes.
 Onke-

*) Cognomena ecclesiae re-
 centioris foederis non minus
 egregia huc quoque spectant, e-
 gr. Corpus Christi, cuius ille est
 Caput Ephes. Cap. I. v. 23. grex
 ejus. et ille, pastor Joh. Cap. X, v.

II-16. Uxor Christi |Ephes.
 V, v. 25. coll. Apoc. Cap. XIX, 7.
 ager nobilissimi tritici in horre-
 um domini convehendi ferax
 Matth. Cap. XIII, v. 25. 30.



Onkelofus in locis Pentateuchi vocem exponit per rem amatam, Syrus, qui tempore Salomonis creditur vixisse, per populum dilectum, Seniores LXX. vero declarant, nunc per *περίσσιον*, nunc per *περισσιασμόν*, et nunc per *περιποίησιν*, quam expositionem Petrus i Epist. Cap. II. v. 9. adprobat. Graecis enim *ῥσία* praeter primum substantiae & essentiae conceptum denotat facultates & opes, a necessitate & praestantia ita dictas, unde *κατὰ τὴν ῥσίαν δίδουαι* idem est, ac pro facultatibus largiri, *περιποιεῖσθαι* autem multo studio & labore quid comparare, imo ex aliena manu eripere & suo possessori vindicare. Horum vestigia presserunt recentiores translatores. Lutherus reddit: *so solt ihr mein Eigenthum seyn vor allen Böskern*: Martin: *mon plus precieux joyau*, et versio anglicana habet a peculiar Treasure. Haut minor est gloria et dignitas, quam prae aliis gentibus ex Theocratia populus Israëliticus fuit consequutus. Ipse Deus rerum summae praerat, & non modo sacra sed et civilia quaevis, nomine & loco Regis politici regebat, & administrabat. Spectant huc Siracidis illa: *ἐκάστῃ ἔδνει κατέστηκεν ἡγόμενον ὁ θεός, καὶ μερὶς κυρίας Ἰσραήλ ἴσι* Cap. XVII. v. 14. Unicuique genti Deus praesidein dedit, Israël autem Dei portio est. Sensus est, sicut ceterae gentes a Regibus suis, ita populus Hebraeus & ejus Rectores, a Deo regebantur et ducebantur. Haec *θεοκρατία*, Deique jus leges ferendi dimanavit tanquam ex fonte suo ex Dei perfectionibus **), ex creatione, providentia,

B 2

omni-

***) Ex muneris & virtutis Divinae praestantia imperium hoc derivat *Moses AMYRALDUS in Diss. de Jure Dei in creaturas, ex poten-*



omnipotentia, sanctitate ac sapientia atque ex solempni foedere cum Abrahamo & ejus posteris iusto, & denique ex liberatione ex Aegyptio. Exod. Cap. XIX, v. 4. 5. & Cap. XX. v. 2. Jerem. Cap. X. v. 7. Dan. Cap. V. v. 23. hinc adpellatur κύριος τῶν κυριεύοντων, βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων 1 Tim. Cap. VI. v. 15. & βασιλεὺς τῶν αἰώνων ἄφθαρτος 1 Tim. Cap. I. v. 17. et denique εἰς ὃ νομοθέτης Jacob Cap. IV. v. 12.

§. III.

Leges Mofaicae obligant ad cultum religionis, & interdicitur omnem idololatriam ac superstitionem.

Singularis plane est legum Mosaicarum, populo in peculium summi Monarchae recepto latarum, indoles et character divinus, sive spectentur actiones liberae five rationes moventes et impellentes. Leges ad duas commode revocari classes possunt. Altera classis complectitur officia, ad quae obeunda maximam partem ratio sana mortalium unumquemque adstringit, quaeque constat legibus universalibus, ac moralibus. Alteram vero constituunt leges particulares, quae, cum statum

potentia irresistibili *Thomas HOBESIIUS*. „In regno naturali, hic scribit Cap. XV. de Cive, regnandi & puniendi eos, qui leges naturales violant, jus Deo est a sola potentia irresistibili. Eadem repetit in *Leviathan* Cap. 31. Eo simul processit audaciae, ut Atheos et qui providentiam divinam negant divino eximat imperio: „Verba insanientis Sophistae aperta sunt: in regno Dei pro subditis habemus, non cor-

„pora inanimata, neque irrationalia, licet potentiae divinae subijciantur, quia praecepta & minas Dei non intelligunt, neque etiam Atheos, quia Deum esse non credunt: de Cive Cap. XV. Fons hujus erroris est, quod simul ex consensu ac pacto imperium derivandum esse videatur. Quam absorta, impia ac sibi contraria haec sit sententia, quivis facile perspiciat.



tum Jfraëlitici populi civilem ac publicum, aut rem sacram ac normam cultus Dei externi ordinant, dicuntur politicæ, civiles ac forenses aut cærimoniales ac ecclesiasticæ. Legum moralium, ut ab iis initium dicendi ordiamur, finis ultimus consistit in gloria Dei celebranda et hominum salute promovenda, id quod optimus legum divinarum interpres Christus haut obscure innuit Matth. Cap. XXII. v. 37. seqq. Frustra autem amore Dei, et aliorum scopum ac finem legum desideraveris meliorem, nobiliorem et excellentiorem. Quem vero fugit, huc collineare leges Exod. Cap. XX. consignatas? Et quis est, qui non intelligat, in eo Mosen totum esse, ut ab abominanda idololatria et Polytheismo ad verum Dei cultum Jfraëlitæ revocet? Mireris nolim, legem hanc esse promulgatam, cum ex ratione pateat. Cogites velim parvulos igniculos, utor CICERONIS verbis in *Quæst. Tuscul. Libr. III.* quos dedit natura, celeriter malis moribus opinionibusque depravatis sic restingui, ut nusquam naturæ lumen adpareat. Nulla enim gens, nulla natio Orientis tunc temporis, quo Deus populum Judaicum a reliquis segregare et in peculium sumere volebat, a veneratione idolorum erat immunis. Abundabat Palaestina, quam petebant Jfraëlitæ, aris, templis, et sacrariis Adad, Moloch, Astaroth et Baal, soli nimirum, ac lunæ & astris dicatis, Lib. sapient. Cap. XI. v. 16., Cap. XII. v. 24. Dignus est, qui conferatur SELDENVS in *Syntagm. I. Cap. 6. et Syntagm. II. Cap. 1. 2.* Vi & armis extirpari has gentes jussit legislator ob graviora delicta & scelera, Levit. XVIII, 24. sqq. Cap. XIX, 29., Deuter. VII, 16. XIII, 5. si-
B 3 mul-



mulque populum Israëliticum pravos illarum mores absonamque religionem averfari intendebat. Quam ob causam sapientiam ac prudentiam summi legislatoris potius admiramur quam Mosen, qui cuncta ad nutum Monarchæ supremi gerebat, arguimus crudelitatis ac tyrannidis. Et quis multitudinem signorum ac imaginum hieroglyphicorum, quas loco Deorum venerati sunt Aegyptii, enumerare potest? Sunt nonnulli, qui non modo sub imagine quadam, cui nomen Cneph aut Emeph fuisset, supremum ac unicum Deum Aegyptios divino profequutos fuisse honore, sed & non plane ignaros fuisse mysterii S. S. Trinitatis contendunt. At quam ficulnea hæc sit sententia, ostendit *Herm. WITSIUS* in Aegypt. Libr. II. Cap. 5. Signis his hieroglyphicis populus adeo delectatus fuit, ut paulo post suum exitum idolum ab Aarone efflagitaret loco Dei, qui ipsum ex Aegypto eduxerat, colendum ac honorandum Exod. Cap. XXXII. *)

Quam

*) Idolum Aegyptiacum fuisse, cui Israëlitæ divinum habebant honorem est res explorata Act. VI. v. 41. seqq. I Cor. X. v. 7. Psal. VI. v. 19, 20 Jos. XXIV, v. 14. Eruditorum sententia communior est, quod ad Apidis et Serapidis, quibus summus statuebatur honos, similitudinem accesserit. *TENNISONUS* vero in *libro de Idololatriæ* pag. 111. singularem fouet sententiam, contendens, imaginem angelorum cujusdam, quos Aaron cum Mose in montem adscendens conspexerat, in illo fuisse expressam Exod.

XXIV, v. 9. Siftuntur, inquit, Angeli in sacra scriptura variis locis sub specie boum alatorum ad promittitudinem et alacritatem significandam iussa Dei faciendi, Ezech. I, v. 6. coll. Cap. X, v. 16. At vero contrarium potius et absonum infert. sensum scripturae sacrae, quam verum & genuinum eruat. Clarum enim est, ex loco parallelo Deuterj IV. v. 15. in monte, quem adscenderat Aaron, ne ullam adparuisse similitudinem. *WARBURTONUS l. c. Tom II. Libr. IV. Cap. VI. Pag. 432.* ex Exod; Cap. III. v. 13.



Quam ergo populi propensionem et inclinationem ad cultum idololatricum ut eradicaret animo sapiens legislator, necesse erat.

§. IV.

Nullum Mosaicum praeceptum ad laudes Dei (et gloriam amplificandam instituto de sabbato fuit accommodatus. Eruditi diu inter se disceptarunt, obligatio ad sabbati celebrationem utrum sit naturalis an positiva. Qui secum expenderit, quam difficulter mens rebus hujus seculi tractandis immerfa ad Deum eleuetur, simulque cogitaverit, in publico conventu fortiores animi excitari affectus, non dubitabit, nos quoque ad publicum et externum, uti ad internum, ex rationis sanae lumine esse adstrictos Dei cultum et venerationem. Est autem id, quod ignorat ratio, quod unus et praecise hic nec alius hebdomadis dierum, quorum alter altero in se non est praestantior, pios ad usus fit destinandus. Cum vero ab Apostolis in nouo foedere eadem lex sit abrogata, cultusque divinus publicus die resurrectionis Christi sit exercendus; consequens est, ut, lege naturali existente immutabili aeterna, ac necessaria, obligatio ad sabbatum fit tam naturalis, quam positiva. Legi merentur, quae haec de re Perillustri ac *Summe Reuerendus a Mos-*

determinant diem cultus divini externi et sabbatum trans-ferunt in a-liquam die-
em.

HEIM

v. 13. colligit, religionem populi Judaici jam ante exitum ita esse deprauatam, ut ipsi nomen Jehovae fuerit obscurum ac ignotum. Id licet concedatur, Israelitas tamen ignorasse nomen Dei essenziale ac proprium admodum improbabile est, quippe quod jam a tempore Enoli in ecclesia Patriarchali

fuerat in usu Genes. Cap. VI, 26. Cap. XIV. v. 22. Cap. XX, v. 14. Cap. XXVIII. v. 13. Difficultatem hic nullam parit locus Exod. Cap. VI, v. 3. si, ut fit in aliis locis scripturae sacrae Exod. VIII, v. 22. Job. III, v. 26. Thren. I, v. 12, particula \aleph pro \aleph sumatur.



HEIM in Theol. Mor. Part. V. pag. 444. in medium protulit. Disceptatum quoque fuit de sabbati institutione. Nonnulli enim ante solemnem promulgationem huius legis ex monte Sinai id nunquam celebratum fuisse affirmant, et verba Genes. II, v. 2. 3. per *πρόληψιν* interpretantur. R. JARCHIUS ad l. c. ad vocem *יָבִר* inquit, et sanctificavit et benedixit ei (sabbato) in „Manna, et sanctificavit in Manna, textus autem ille „scriptus est de futuro i. e. *κατὰ πρόληψιν* seu per anticipationem, Eodem, ut paucis ad ejusmodi deliria respondeamus, jure affirmari potest, Deum quoque post longum intervallum temporis Matrimonio quoque benedixisse Genes. Cap. I, v. 28., nec antea id fuisse initum, imo Deum non statim post operum, quae perfecerat, creationem, sed diu posthaec quievissse, et quae reliqua fluunt contraria & absona. Rejcta vero omni prolepsi, non sine graviore causa admittenda, asserendum est, jam in Paradiso ab Adamo, et postea in ecclesia Patriarcharum diem sabbati cultui divino fuisse consecratum, sacrificiis nimirum Deo oblatis, aut doctrina de Deo rebusque divinis publice instituta *). At quaestio altioris est indaginis, an lex de sabbato Sinaitica et Paradisiaca

*) Haut improbabiler id colligitur ex Epist. Jud. v. 14. 15. Genes. Cap. XII. 8. Cap. XXI. 33. Ebr. Cap. XI. 4. 7. „Fieri potuit, „scite & preclare ait b. LUTHERUS ad Cap. II. Genes. ut Adamus Hevae concionatus sit de „voluntate Dei, quod benignif-

„simus Deus Paradisum condiderit, ad usum et voluptatem hominum, quod etiam lignum vitae singulari bonitate creaverit, „cujus usu restaurarentur vires „corporis, & retineretur perpetua iuventa, unam autem arborem scientiae boni & mali esse „pro-



disiaca unum eundemque hebdomadis concernat diem. Haut leues nec infirmae nobis videntur rationes, quod dies sabbati, in Paradiso in memoriam creationis instituti, incidit in diem a sole dictum, postea vero in liberationis ex Aegypto memoriam in diem, a Saturno quem veteres dixerunt, fuerit translatus. Est enim supponendum, Adamum calculum vitae et hebdomadam ex sui ipsius ac Evae creatione duxisse. Hinc, cum creatus esset sub diei sexti exitu, primus vitae ipsius dies fuit dies sabbati. Verba Mosis: Genes. II, v.1. 2. seq. magis huic sententiae fauent, quam contrariantur. Non enim Deus septimo vitae Adami diei, sed septimo hebdomadis, benedixisse dicitur. Tempus, quo haec translatio diei sabbati facta est, indicatur a Mose Exod. Cap. XII, v. 16. seq. ubi simul inter antiquum & novissimum distinguitur. Exod. Cap. XXXIV, 18. Leuit. XXIII, 5. 8., Deuter. Cap. XVI, 16., Matth. Cap. XXVI, v. 17: Marc. Cap. XIV, 1. Luc. Cap. XXII, v. 1. Pluribus hac de re egerunt *Joh. SMITH in doctrina Ecclesiae anglicanae de die dominico s. solis die, et Arthurus BEDFORD in Chronologia Scripturae sacrae*, et qui hos sequutus fuit *S. Reuerend. D. Christianus WOLLE in der Betrachtung über die in der Augspurg. Confess. enthaltene Sittenlehre Jesu Tom.*

„prohibitam, ex qua non liceat
„comedere: hanc obedientiam
„tam benigno creatori praestan-
„dam esse. His forte dictis, in
„Paradiso Hevam suam circum-
„ducens Adamus prohibitam ar-
„borem ei ostendit. Ita Adamus

„& Heva florentes innocentia &
„iustitia originali, plena securita-
„te, propter fiduciam in Deum
„tam benignum, deambularunt
„nudi, tractantes verbum et men-
„datum Dei, sicut in Sabbato de-
„cebat.”

C



Tom. I. pag. 718. seq. Ratio, quae Deum incitabat diem sabbati in alium transferre, nulla erat alia, quam ut a veneratione solis, quem Nimrodus primum dicitur coluisse, et ab aliis nefandis ritibus gentium barbararum populum judaicum, in suum peculium receptum, eo magis auocaret et retineret. Quo pretio ac honore septimus dies inter gentiles sit habitus testantur veteres auctores. Vocatur ab *Hesiodo*, quia sacris destinatus erat,

ἑβδόμη ἡμέρα

et ab Homero

ἑβδόμη ἦν ἡμέρα

et alibi

ἑβδόμον ἡμέραν ἐν καὶ τῶν τετέλεστο ἅπαντα.

SYRBIUS in *Dissertat. de sabbato gentili Jenae 1700 habita*, *Pfannerus in hystem. Theol. gentilis purioris Cap. XI. §. 20.* CLEMENS ALEXANDRINUS *Libr. V. STROMAT. et EUSEBIUS in praeparat. Euangel. Libr. XIII. Cap. 7. plura testimonia adferunt.* „Ab omnibus Orientis, sunt verba SCALIGERI, populis, ab ultima antiquitate usitatum fuit, ut per septimanas dierum suos facerent computos. Et *Philo JUDAEUS Libr. de opificio mundi hunc diem adpellat πάνδημον καὶ τῆς κόσμου γενέσιον.*

§. V.

Leges mo-
saicae inter-
dicunt quas-
cunque pra-
vas concu-
piscencias,
sive sint a-
ctuales sive

In altera Mosis praeceptorum tabula amor sui ipsius includitur ac aliorum Exod. Cap. XXXI, v. 8. Cap. XXXIV, v. 29. Deuter. Cap. IV, v. 13. et Math. Cap. XXII, v. 37. Si haec officia cum Graecorum, et qui eos imitati sunt Romanorum legibus, ac duodecim tabulis conferas; praecepta Mosis his Deo et homi-

ne



ne longe digniora esse facile cognosces. Ne ullus quidem legislator huc usque leges conatus fuit publicare, ad quas cives internas mentis operationes, cogitationes ac cupidines dirigant. Concessa enim ipsi tantummodo est de externis actionibus facultas sentiendi ac iudicandi, hinc, leges ut externas civium actiones ordinent, fieri modo potest. E contrario a legislatore Mose non modo quaevis concupiscentia actualis, sed, quod plane divinum et admirandum est, originalis ac nobis ingenua prohibetur haut recta. Testem omni exceptione majorem inducimus Christum Matth. Cap. V, 20. *) Vocem quoque תחמר Exod. Cap. XX, v. 17. Moses explicat per תתאיר Deuter. Cap. V, v. 21. i. e. ne facias

innata, et
injungunt
amorem sui
ipsum et ali-
orum.

C 2

*) Pontificii hinc colligunt, Christum quid addidisse legibus Mosaicis, Judaeorum majoribus iniunctis, vid. SERARIUS de Trihaeresio pag. 66. Eandem amplectuntur sententiam Sociniani et Arminiani, Christum novum legislatorem fuisse putantes. conf. OEDERVS in Annot. ad Careches. Racoviens. pag. 494. Et alii scriptores Anti-Sociniani. Ipsi Talmudici e contrario suis effatis testantur, sensum illum Mosaicorum praeceptorum, quem Christus contra scribas, qui rejectis traditionibus solam scripturam S. venerati sunt, et Phariseos, vindicat & tuetur, sibi non fuisse obscurum. Sic enim illi: כל המסתכר באשה כבודנה כאילו כבא עליה Quicumque adspicit mulierem cum

intentione, perinde est, ac si rem habuisset cum ea, Talm. Kalla sab initio. Plura adfert testimonia hujus gentis BVXTORPIVS in Lexico Talm. pag. 1474. Christus quidem ipse affirmat, se novum discipulis dare praeceptum, Joh. Cap. XIII, v. 34. at quis inde, cum Mosaica lex jam ad amorem homines obliget mutuam, Christum legum defectum supplere colliget? Provocant contrasentientes ad sacramenta novi foederis a Christo instituta, quae vero potius ad doctrinam Evangelii & bona foederis gratiae ac beneficia, quam ad leges referri debent. Profligavit b. BVDBEVS sententiam Joh. Ernestii GRABII, qui opera Georg. Bulli Angliae Theologi edidit, in Theologia sua moralis pag. 371. seqq.



cias te ipsum concupiscere. Nonum igitur ac decimum
 præceptum ita distinguendum esse recte arbitrantur no-
 strae ecclesiae Theologi, ut in illo quaevis concupiscen-
 tia actualis mala cum delectatione, et studio et adpro-
 batione cogitata exsequendi conjuncta, in decimo uero inf-
 ta ac nobis connata interdicitur **) Paulus, divus A-
 postolus, hanc expositionem confirmat ad Rom. Cap. VII,
 τὴν τε γὰρ ἐπιθυμίαν οὐκ ᾔδειν, εἰ μὴ ὁ νόμος ἔλεγεν. οὐκ
 ἐπιθυμήεις. Gentilibus autem erat persuasissimum, concu-
 piscentiam actualem eamque pravam esse peccatum.
 Jam ARISTOTELES ad NICOMACHUM *libr. III. Cap. 15.* scribit, malum omnibus hominibus esse συγγειῆς
 s. connatum, et illud Ovidii satis notum est: Video me-
 liora proboque, deteriora sequor, item: nitimur in veti-
 tum semper cupimusque negata. Non ergo cum VI-
 TRINGA *in observ. S. Libr. III. Cap. VI.* contendendum
 est, „Paulum hoc velle, quod vim et effecta concupi-
 „scentiae non cognouit, antequam animum diligen-
 „tius adplicasset considerationi præcepti decimi: vel quod
 „fuerit aliqua species concupiscentiae sibi incognita ante
 „legem bene expensam,„ Et quae æquiora, justiora ipsoque
 homine digniora esse possunt præcepta, quam reliqua in
 hac tabula comprehensa? Amore parentum, cultu et
 observantia eorum, qui nos amant, quibusque vitam,
 qua

**) Logicorum regula: quot
 species, tot partes, seu membra
 divisionis noni & decimi præcep-
 ti distinctionem, jam tempore ac
 aetate Augustini satis vulgarem,
 confirmat. Concupiscentia enim,
 quae stilo biblico audit mox

concupiscentia carnis, veteris ho-
 minis, mox caro, ac vetus ho-
 mo, est vel connata s. originalis
 vel actualis. Errant hinc cum
 Origene Calvino-Reformati. Confer,
 hac de re M. Hnt. in Dissert. de du-
 plici Decalogi accentuatione.



qua majus bonum esse non potest, debemus, quid dulcius et acceptius, quidque dignius nobis esse potest? Vita, conjuge, opibus ac facultatibus, fama & nomine quid magis habetur in deliciis? Quis igitur est, qui legislatoris optima ratione hisce rebus prospicientis, nostraequae salutis consulentis, sapientiam singularem ac divinam prudentiam non admiretur, celebret, atque ex tollat?

§. VI.

De gentis cuiusdam legibus politicis ac civilibus qui recte iudicare cupit, de rationibus legum maxime esse debet sollicitus cognoscendis. Nam quivis intelligens legislator, quam sancit leges, antea cognitum & perspectum sibi reddit temperamentum, inclinationes, et affectus atque naturam eorum, qui ipsius imperio parent. Populares ingenii mollioris alius, alius magis ferocis et horridi ingenii ac immanes barbari sunt regendi legibus. Illi sunt flectendi, hi coercendi. Finitimorum quoque populorum mores et statuta saepius ordinant leges ferendas earumque indolem. Hinc fit, et fieri debet, ut populis, quibus non idem est temperamentum, quique non sub uno coeli tractu spiritum trahunt, sint diuersae leges, ac mores, et ut, quod alteri honori et dignitati habetur, alteri inhonestum et minus decorum videatur. Adeo universalis et certa sunt haec principia, ut quivis prudens Graeciae et Romae legislatorum Solon, Lycurgus ac Numa iisdem fuerit usus, et ad quae leges politicae, Israelitis latae, sint reuocandae. Gens judaica erat horrido, agresti, minus poli-

Leges politicae ingenio gentis judaicae sunt accommodatae, & consulunt totius rei-publicae salutem.



to, mutabili, ac ad Deastrorum cultum et venerationem admodum proclivi animo, grave coelum, noxium et insalubre, regio immunita et populis validissimis, usuque belli exercitis, confinis. Hinc, ut quivis facile intelligit, tam multae promanarunt leges de cibis corpori & animae simul noxiis, eorumque discrimine, de lustrationibus & purificationibus, multaeque aliae caerimoniae aliis gentibus minus familiares. Deistae si tantum in perscrutandis legum Mosaicarum rationibus ac causis ponerent studii, quantum laboris in iisdem impugnandis; legislatoris divinam utique admirarentur sapientiam & intelligentiam *). Concedi potest, rationes quarundam legum nos latere, nec esse satis certas. Quis vero Deistarum affirmaverit, leges Atheniensium ac Romanorum sibi esse perspectas? Adferamus quasdam leges, ut quae sit ipsorum excellentia, pateat. Luculentissimum legislatoris clementiae benignitatis ac amoris in

*) Scopus harum quoque legum fuit, ut monente divo Apostolo Paulo Gal. III, 19. et Ephes. I. 14. 15, inter gentem judaicam et gentiles paries quasi ducatur. Sic enim non modo religio Israelitis concredita servari incorrupta, ac promissiones de futuro Messia commode propagari, sed et ejusdem proprietates ac ortus ex tribu Judae certius et clarius potuerunt cognosci. Quae segregatio Israelitarum fuit causa, quam ob rem reliquos populos odio fuisse prosequenti dicantur. Teste enim Tacito HISTOR.

Libr. V. apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu, sed ad coetus alios hostile odium. Nonnullae leges, quales sunt de avibus incubantibus pulis una cum pullis non sumendis, de arboribus frugiferis in regione hostis non eradicandis, de aino cum bove in arandi negotium non jungendis &c. sunt partim oppositae superstitionis seculo illo late propagatis institutis, partim testantur de cura dei pro omnibus creatis, ac denique nos erudiunt de voluntate divina in omnibus actionibus exsequenda.



in egenos ac miseros exhibet, jam ex mente TERTUL-
LIANI *contra Marcion. Libr. II. Cap. 17*, documentum
annus sabbaticus ac jobelaeus. Sabbaticus annus age-
batur quovis septimo anno, quo nec agros colere, fe-
minare, ac demetere, nec arbores ac vites amputare li-
citurum erat, quare vocatur שַׁבַּת הָאָרְצָה sabbatum terrae
Leuit. Cap. XXV, v. 2 - 6. et Graecis ἀργὸν ἔτος annus
otiosus, imo ἀγεωργησία agriculturæ cessatio, et ob re-
missionem aeris alieni לַחֲמֵשׁ לַיְהוָה remissio Jehouae
Deuter. XV, 1. 2. Hinc illustrari possunt verba Christi
Matth. Cap. XXIV. v. 20. Orate ne fuga vestra fiat hie-
me vel sabbato scilicet anno sabbatico, quo nullae fru-
ges in agris inveniuntur. Jobelaeus autem annus cele-
brabatur anno quinquagesimo, aut, ut alii volunt, sep-
ties septimo. Manu emittebantur servi, siue Profelyti
siue Judaei, imo et domus et agri revoluti sunt ad primos
possessores Leuit. Cap. XXV. v. 40. sq. *Arator* hinc in
Acta Apost. Cap. XIX.

Quinquagesimus annus

Cum Jubileus adest, proprii distractio ruris,
Antiquo donatur hero.

Illo instituto Deus se ipsum supremum Monarcham ac
Dominum omnium bonorum et opum, quibus abundabat
populus Israëliticus conspicuum reddebat, ad fiduciam in
se ponendam populum commovebat, benedictionem in
sexto anno promittens & proventum in tres proximos
annos Leuit. Cap. XXV, 21. **) & denique ad amorem,
beni-

**) Hanc Dei promissionem tam fuisse ex versu 38. satis cla-
ram absolutam sed conditiona- rum est. Ad objectionem ergo
facile



benignitatem in pauperes et egenos incitabat, nam omnia omnibus anno sabbatico erant promiscua & communia, & quivis falcem suam in aliorum agros immittebat. Jobelaei anni finis erat, ut divites non omnia praedia ad se raperent, & egentiozem empturum pretio superarent et expungerent, ne terra divitibus omnia ad se rapientibus praedia minus culta redderetur, aut homines abjecta spe redeundi in possessiones paternas ad alios excurerent populos, & sic pauci totam regionem tenerent aliis ad egestatem redactis. *Vid. GOODWIN Mos. & Aaron Libr. III. Cap. IX & X.* Asyla quoque in praeclarum ordinata erant usum. Exod. Cap. XXI. v. 14. Longe alia fuit ipsorum ratio ac Romanorum & Græcorum. Patebant apud has gentes sceleratissimis hominibus, parricidis, latronibus, adulteris & furibus; Leuitarum urbes e contrario nullum homicidam receperunt in tutum, nisi qui per errorem, incaute aut fortuito alium occiderat, ne vindex percussorem insequens caedem ulciscatur. Si quis vero alterum proterve interfecerat, seque voluntaria polluerat caede, ab altari quoque fuit abreptus imo & ad aram occisus 1 Reg. Cap. II. v. 28. Nec majora clariora

facile potest responderi, cur Judaei Alexandrum M. rogarint, ut ne tributa anni septimi exigeret. Auctores *ber alsger. Weltb. Tom. 3. p. 31.* hunc annum adumbrasse annum *ἐπικαταστάσιος πάντων* putant quorum sententiam erudite et solide refutavit D. BAUMGARTEN in *Annot. XXI.* qui annum jo-

belaeum rectius cum anno gratiae et libertatis per Christum acquirentae comparat. *Vid. S R D. CARPZOVIVS in adpar. Cir. in GOODW. Mos. & Aaron. adnot. ad Lib. III. Cap. X. p. 17. Job. Jac. RAMBACHIVS in libr. de Christo in Mose pag. 753. & Frid. Adolph. LAMPIUS in dem Geheimmis des Gnadenbundes p. III. Cap. 27.*



rora & certiora de legislatoris cura pro salute civium
singulorum in republica Judaica esse possunt argumenta,
legibus de jure talionis & restitutionis Exod. Cap. XXI.
v. 33. de inimicorum amore Levit. Cap. XXI. Exod.
XXIII. 4. 5. coll. Deuter XX. 1. 2. de viduis & orphanis
Exod. Cap. XXII. 22. de pauperibus et egenis, Exod.
Cap. XXII. 5. Coll. Deut. XXIV, v. 14. 15. de Pro-
felitis ac peregrinis Exod. XXII, v. 21. Lev. XIX,
v. 33. Levit. Cap. XIX, 33. de servis, Exod. Cap. XXI.
seqq. coll. Deuter. Cap. XV, 13. de Eleemosynis, Deu-
ter Cap. XXIV. v. 6. seqq. de infirmis ac ægris,
Levit. Cap. XIX. 32. Deuter. XIX. de furto, de dolo, de
incestu ac adulterio, de foenore ac usuris, et multis
aliis. Legantur SAVRINVS in den Betrachtungen über die
wichtigsten Begebenheiten A. u. N. T. Tom. 4. pag. 107.
seqq. & auctores d. allgemeinen Welthist. Tom. 3. Cap. 7.

§. VII

Reliquum est, ut de legibus caeremonialibus, cul-
tum Dei externum quae ordinabant, earundemque
praestantia dicamus. Secum qui perpendit, in nulla
fere alia republica, praeter Judaicam, tantam multitudi-
nem sacrificiorum, quae tribus festis solemnioribus,
neomeniis, die expiationis, sub anni novi ingressu,
imo et quovis die, tempore matutino et vespertino,
deprehendi, eaque tam varia et diversa esse, holocau-
stum עולה, nimirum pro pravis concupiscentiis et men-
tis cogitationibus minus rectis, מנחה fertum, זסכים
libamina, תורה sacrificium confessionis, זבח sacrificium
cruentum, חטאה sacrificium pro peccatis, ut de longe
pluribus aliis ritibus sacris nihil dicam; is intelliget,
D quod

Leges caeremoniales
sunt divinae
originis &
mediato-
rem inter
Deum &
homines ad-
dumbrant.



quod non modo haec et reliqua instituta, minime humanis blandientia commodis, loco jugi admodum duri sint habenda, sed et, cum Judaei collum lubenter tam gravi jugo subdiderunt, de divina horum rituum origine satis superque fuerint convicti. Versantur hic in gravissimo errore *Sociniani*, qui ut eo fortius Christi satisfactionem impugnent, ex mereo arbitrio hominum sacrificia esse enata sibi et aliis persuadent, quibuscum rem facit GROTIUS ad Genes. IV, v. 3. „Non ullo Dei jussu, scribit, sed dictante ratione honorem Deo etiam conspicuum habendum, idque optime fieri posse, „datis Deo iis, quae homini sunt carissima,„ Id autem non optime fieri posse claro clarius est, cum Deo, cui nihil deest, ab iis, qui omnia a Deo accipiunt, dari possit. Nec, quod contra Socinianos notandum erit, sacrificia ex mereo hominum ingenio et arbitrio enata Deo, qui omnem ἱεροσολομαίων condemnat, fuissent grata atque accepta Levit. I. v. 3. 4. 9. 13. 17. Cap. II. v. 2. 9. Cap. III. 5. 8. 13. 16. Cap. IV. 4. 15. 24. 26. 29. 33. et aliis locis. Minus periculosior aliis videtur sententia *Joh. SPENCERI Theologi Cantabrigiensis* primum in *Dissert. de Urim & Thummim*. postmodum in amplissimo de *legibus Ebraeorum ritualibus commentario*, et *Joh. MARSHAMI, Equitis Angli, in Chronico Aegyptiaco* prolata, quod ab antiquissimorum gentium cultu originem traxerint leges caeremoniales, in sacris Hebraeorum vero correctae et a Deo adprobatae *). In eo graviter nobis

*) Ingeniosi hujus erroris illi enim ad Levit I, v. g ait. „Sacrificiorum ritus, quod credibilis non sunt primi inventores, sed GROTII vestigiis inhaerent. Hic est, a Syris et Aegyptiis usurpati, correcti



nobis errare videntur, quod a convenientia et similitudine legum Mosaicarum cum aliorum populorum institutis ad illarum originem ex hisce trahendam inferant. Nullum enim est dubium, quin, ut gentilium theologia, ita eorum instituta ex gente Judaica profluxerint. Jam enim NUMENIUS, teste *Clemente ALEXANDRINO Libr. I. Strom. pag 342.*, inter Mosen et Platonem tantam convenientiam deprehendit, ut Mosaizantem crederet Platonem, *εἰ γὰρ εἰσι Πλάτων ἢ Μωσῆς ἀττικίζων;* quid enim aliud Plato quam Moses lingua attica vltus? *Petr. Dan. HVEPIVS* in eo est totus, ut in *Demonstr. Evangel. Propos. IV. pag. 83. seqq.* γνησιότητος librorum Mosis ex veterum scriptorum testimoniis probetur. Probavit quoque firmissimis rationibus ac certis, jam ante Mosen Mosaicas leges in ecclesia patriarchali in usu fuisse, *Conr. IKENIUS in Dissert. de Institut. et Ceremoniis Legis Mosaicae ante Mosen*, et quem citat in praefatione, *Herm. Sam. REIMARVS in dissert. eiusdem argumenti.* De sacrificiis id adeo clarum et euictum est, cum eorundem fit mentio *Genes. Cap. IV. v. 4*, ut nulum relinquatur dubium. Scopum ac finem harum legum Mosis si quaeris, quas inanes et vanas esse sapientia legislatoris haut patitur, omnium esse maximum ac nobilissimum, quisquis intelligens fateri facile inducitur. *Psal. L, v. 7. 13. Ebr. X, v. 4.* Vocantur in sacris oraculis rerum futurarum umbrae ac

recti sunt ab Hebraeis, & ab aliis gentibus sine emendatione usurpati. Quibus adde, quae ad *Coloss. II. v. 20.* habet, Nihil in ipsis ritibus

erat proprium Iudaeis, et magis a gentibus ad Iudaeos per συγκατάβασιν quandam, quam a Iudaeis ad gentes venerunt.




ac imagines Hebr. X. v. 1. 5. 8., Coloss. II. v. 16. 17. At cum nullus major similitudinis et convenientiae gradus inter Christum, futurum Redemptorem, et inter haec statuta esse possit, consequens est, ut salutem per Christum partim adumbrarint Ebr. VII, 24. Cap. IX, v. 12-26. Cap. X, v. 1-11. Rom. III, v. 25. Actor. XV, v. 11., ut Israëlitae peccatorum suorum reatum edocerentur gravissimum, et de justitia divina suis operibus nunquam obtinenda convincerentur. Pluribus hac de re agunt *Celeb. Job. Dav. MICHAELIS* in der typischen Gottesgelarheit *Cap. 2. seqq. et Pl. Rev. A. G. MASCH* in *Differ. de fine et natura sacrificiorum.*

P. P. GUSTROVIAE DIE XIII. MAJI. A. R. S.

M. D. CCLV.





als auf den Staat seyn. Er wird einer zügellosen
 heit, woraus Spaltungen, Sectirerey, Verfol-
 d Notten entspringen, mit sanftmüthigem Ernst
 hun. Er weiß es, daß die Religion, die Christus
 dem Staate gute Bürger, arbeitsame, aufrichtige,
 ehrliche und rechtschaffene Unterthanen verschaffet.
 es, daß die so theuer erworbene Bekenntnißbücher
 rche eine Schutzwehr unsrer Ruhe und Sicherheit
 onsübungen sind. Er wird daher diese gegen alle
 ngen in seinen Schutz nehmen. Dem Höchsten
 ! daß wir noch in so manchem Minister, von dessen
 Weisheit und Klugheit die Wohlfahrt ganzer
 abhänget, einen Freund Christi, der seiner Reli-
 e macht, hochzuschätzen, das Glück und die Freude

dieser Betrachtung giebt mir die milde Stiftung,
 thätige Gesinnung Sr. Excellenz des Hochwohl-
 en Herrn, Herrn Christian Ulrich von Ke-
 — — — gegen unsern Musentempel Gele-
 Nach diesem Institut, welches dem Herrn Gehei-
 y zum unvergeßlichen Ruhm gereichen wird, soll das
 t der Reformation des großen Luthers am 31sten
 durch eine deutsche Rede, welche der Feyer dieses
 maß ist, vor den öffentlichen Lehrstunden dem Höch-
 Preise jährlich erneuert, und unter fleißige und ge-
 schüler Bücher ausgetheilet werden. Keine Zeit
 wohl mehr die Erneuerung dieser Wohlthaten, wel-
 seiner Kirche erwiesen, als eben die gegenwärtige,
 e von so vielen verkannt werden. Der Herr Ge-
 th hatte im vorigen Jahre sein funfzigjähriges Amts-
 auf einem seiner Rittergüter gefeyret, und war
 n von dem Allerhöchsten mit vieler Munterkeit des
 und Leibes gesegneten hohen Alter von einer zahl-
 B 3 reichen

